

M. h. 286^u

nicht verheiratet
nicht PK

1) Ringsius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält
allein 20 Disputationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph!

De

MELANCHOLIA,

DISPUTATIO PRIMA.

In quâ de melancholia cerebri primaria & eâ
quæ fit per consensum totius corporis,

Quam

Preside

M. b. 286a

DN. ADAMO LVCHTENIO,
Phil. & Med. Doctore & Professore, in
Publico auditorio

Defendet

IOHANNES HVSANVS
THVRINGVS.

Die 21. Decembris.



HELMAESTADI,

Ex typographeio IACOBI LVCI.

ANNO cl. l. c. l. i. x.

Mag. et nobil. viro D.
dolpho ab Alarstleben
hereditatis in Calbe et
Pörschitz mittit autor

Widmung





Magnificis, Nobilissimis, Reuerendis, Consul-
tissimis, Amplissimis & Clarissimis,

VIRIS,

DN. MARTINO RVLANDO,
Phil. & Doctori Cæsar. Maiestatis Con-
filiario & Chymiatri primario:

DN. POLYCARPO LYSERO, SS.
Th. Doct. sereniss^{mo}. Electori Saxonix à Con-
silijs Ecclesiasticis & Concionibus sacris:

DN. MARCO GERSTENBERGERO,
I.V.D. Hereditario in Drakendorff & Schwere-
stedt / illustrissimorum Iuniorum Ducum
Saxonix in aulâ Altenburgensi Cancellario
dignissimo:

DN. LVDOVICO GVILIELMO MOSERO,
illustrissimo Electori Saxonix à secretioribus consilijs.

Dominis suis, mæcenatibus & promotoribus
æternùm colendis,

hoc medici studij specimen

In animi subiecti signum, gratitudinis &
singularis obseruantia testimonium,

exhibet

IOANNES HVSANVS,

Respondens.



THESIS I.

M Al. l. 2. m. m. c. 2. Cum varijs rationibus & occasionibus, hinc inde desumptis, nomina à prius impositoribus, uti rebus alijs omnibus, ita morbis quoque, in quibus docuisset; Melancholiam, de qua acturi sumus, in unum morborum classe locat, qui à causa quâ producuntur, nomen inuenerunt. Melancholia enim propriè humorem significat, cuius vitio hic affectus nascitur, quemadmodum etiam docet idem Galen. l. 3. d. l. a. c. 7.

2. Est autem Melancholia principis functionis deprauatio sine febre, cum timore & tristitia, à materiâ feculentâ & obscurâ temperaturam tum cerebri, tum præcipuè verò spirituum peruertente, proueniens.

3. Principis functionis deprauationem in genere dico; quia in augefcente morbo omnes tres functiones quodammodo affici constat. Et Galen l. de Sympt. diff. c. 3. testatur, plerumq; tum imaginationem, tum ratiocinationem offendi. Vnde hoc offensionis genus etiam πνευματικόν delirium, & desipientia dicitur.

4. Non offenduntur autem functiones omnes semper, nec æqualiter, sed imaginatio quidem semper & necessario, & per se quidem leditur, reliquæ verò nec semper, nec per se sed per accidens. Imò in quibusdam, quibus cerebrum humidius per morbum moderatè exsiccat, memoriâ acuitur.

5. Ratiocinatio verò, cum sit functio inorganica, per se ladi non potest; quia tamen phantasmatum, quæ non nisi ab organica facultate percipiuntur, quedam compositio est, eius organo affecto, & ipsa ratiocinatio exorbitat, magis minusue, prout offensio facultatis imaginatricis magna vel parua est. Hinc mentis etiam alienatio à ple-

risq; definiri solet, à præstantissimâ facultate nominis rationem desumentibus, tamen si minus propriè.

6. Familiare autem est melancholicis, ut plerumq; imaginatio circa unam aliquam rem oberret, in eâq; implicata, irretita, quasiq; de fixa hæreat, reliquis inoffensis. Ita Theophilus medicus tantum in conclavi tibicines sine intermissione cantantes sibi imaginatus est, etsi in reliquis prudentia constiterit, rectè disputarit, & amicos norit, ut autor est (en. 1. de sympt. diff. cap. 3. Mibi visus est quinquagenarius atq; arciter, qui eo malo afflictus unicum hoc querebatur videri sibi quoties comederet alium eidem mense assidere, iisdemq; epulis quibus ipse, vesci, tamen si id, ut falsum, agnoscebat. Negabat tamen se istam ex animo imaginationem amouere posse.

7. Etsi autem, uti dictum est, semper in unâ aliquâ re aberratio fiat, hæc tamen non in omnibus eadem est, sed propè infinitis modis variatur, prout olim cuiusq; fuit intenta cogitatio, vitæ conditio, aut animi affectus. Alius enim se mortuum, alius regem, alius Papam, alius Gallum gallinaceum, alius aliud quippiam esse credit; quemadmodum experientia docet, & infinita apud medicos scriptores eius rei exempla extant.

8. Si quis querat, unde ista imaginationum varietas, eueniat, huic nihil aliud commodè videtur responderi posse, quàm quod ex 30. probl. 1. Arist. Fernelius tradit: Veluti enim vinum potantium naturæ & constitutioni; ita melancholiâ laborantium constitutioni sese accommodat. Quocirca immensa ista varietas spectrorum videtur, vel ad corporis constitutionem, vel ad exercitiij modum, vel ad affectus referri posse.

9. Nam qui sanguinei naturâ sunt, si in hos incidat hoc malum, videndo insaniunt, qui pituitosi sunt, in his omnia quodammodo torpescunt, qui verò melancholici ex naturali temperaturâ, illi & taciturniores, & plusquam alij meticulosi sunt. Religioni qui addicti sunt, his vel angelorum, vel Diabolorum, cæli, inferniq;, prout sibi quicq; antea conscius fuit, species offertur. Rei faciendæ operam qui
dede-

dederunt, sese vel ditissimos, vel pauperrimos omnium mortalium existimant: affectibus obnoxij, pro naturâ & modo affectus, vel amore, vel iracundiâ, vel odio, alionè modo efferantur.

10. Innumera autem, ut apparet, cum imaginationum species & delirandi modi sint, ex his accurata distinctio siue discriminis ratio desumi non potest. Proinde medici, quod conducibilius & ad praxin commodius videbatur, à locis affectis differentias desumpserunt. Alia enim Melancholia cerebri est, ex cerebro per se & primario leso, quando nimirum reliqui corporis, sanguine per se innocuo, solus is, qui in cerebro contentus est, alteratur; quod fit bifariam: aut enim aliunde in ipsum deriuatur, aut in ipso melancholicus humor genitus est, cum videlicet internus calor aut flauam bilem, aut crassum atrumq; sanguinem superassarit. Alia est per consensum totius corporis, quando nimirum uniuerso in venis sanguine melancholico effecto ob commune vitium cerebrum efficitur. 3. Est per consensum alicuius partis, præcipuè verò hypochondriorum.

11. Circa has differentias notandum non omnibus speciebus equaliter genus conuenire. Non enim uniuocum est, sed equiuocum. Primis enim duabus speciebus ex æquo, tertia secundum similitudinem quandam tantum conuenit: De primis duabus differentijs in presenti, De tertiâ, quia aliquantum diuersam & peculiarem naturam habet, alia disputatione agemus.

12. Causa huius morbi proxima vel continens est, vel humor melancholicus, vel fuligo atra & crassa cerebrum turbans, spiritusq; animales obtenebrans, vel complexio cerebri frigida & sicca sine materiâ, quæ & ipsa cerebro spirituiq; animali in functionibus consuetis impedimento est, ut docet post alios Rondeletius l.1.m.c. 41. Et probat historia eius mulieris, quæ tantum cum utero non gereret, delirabat, cum grauida esset, non itidem, eò quod ex sanguine menstruo retento vapores sursum elati siccius cerebrum irrigarent & contemperarent. Verisimile tamen est huiusmodi temperiem diu solam subsistere non posse, sed paulatim nature suæ consimilem humorem producere.

13. *Humorem melancholicum principaliter cum hic intelligimus, qui sex est sanguinis. Nam quibus in massa sanguinea, ea plurimum redundat in melancholicam desipientiam valde sunt proclives. Non excludimus etiam melancholiam præternaturalem & excrementitiam. Nam & hæc prout vel sola nimis exuperat, vel cum alijs humoribus permiscetur, melancholica deliria varia & diuersa, pro modo vel corrupti, vel permixti humoris inducere apta est.*

14. *Nec absurdam, sed rationi consentaneum arbitramur, etiam cum humorem huic morbo causam esse posse, quem Auicenna relinqui ait, quoties ex pituita & sanguine crasso, partes tenuiores, & lucidiores absumantur, remanentibus crassioribus & obscurioribus, quæ naturam melancholie in Symptomatum siue accidentium productione æmulentur.*

15. *Causæ antecedentes sunt, præcipuè humor melancholicus, ubiuis in corpore delitescens & exuperans, nondum tamen cerebri functiones laceffens. Præterea sanguis calidior, vel ex febre, acutoq; morbo relictus & assatus, vel ex temperamento tum totius, tum præcipuè epatis calidiore productus, Galen. l. 3. de l. a. c. 7. & 3. Epid. com. 3. part. 70. Quin etiam lien si morbo implicatus sanguinem non expurget, neq; melancholica excrementa ad sese trahat, huic morbo causa esse potest. Item Hemorrhoides, menstruæ purgationes & varices suppressæ, quemadmodum & cerebri debilitas, & Spirituum paucitas; Excellentia enim obiectorum naturalium rectèq; habentium ita obruuntur, ut homo male iudicet.*

16. *Causæ euidentes, & externæ quam plurimæ sunt. Nam & aër frigidus & siccus, calidus & siccus, item crassus & turbidus huic morbo occasionem præbet. Quemadmodum etiam inter anni tempora præcipuè Autumnus, deinde æstas inclinans propter consimilem temperaturam. Nam quod Hippocrates l. 3. Aph. 20. dicit. Vere fieri furores & melancholias, non ita accipiendum est, quod ver generet, sed quod detegat, & humorem melancholicum autumno hyemeq; generatum coaceruatumq; per totum corpus diffundat.*

17. Con-

17. Conferunt huc somnus nimius, vigilia etiam amplius, exercitia intermissa & nimis laboriosa. Præterea studia sine relaxatione continuata, cura, sollicitudines, iracundia, amores; unde peculiarem melancholiam speciem fecerunt, quam Barbari, amorem Hereos vocitant, quo quis peculiaris fœminæ amore ita exardescit, ut nihil in vita nisi illam desideret, in eâq; omnes cogitationes defigat, ad insaniam usq;. Circa quam hoc tamen notatu dignum est, quod Valescus suo tempore dixit, paucos eo affectu laborare, quia vita dissolutior & amor vagus raro in unâ aliquâ acquiescat. l. 1. c. 11.

18. Ratione sexus, viri magis huic malo obnoxij sunt, quàm fœmina, si verò fœmina corripiantur, periculosius quàm viri laborant, ut docet Aretæus l. 3. c. 5. Hic tamen notandum, quòd Valescus de Tarenta notat, mulieres Zelotypas frequenter fieri melancholicas, seq; multas tales vidisse. Ex ætatibus illa, quæ prope statum est, & ipse status huic morbo subycitur, Aretæus ibidem. Ratione complexionis illi, quibus multus sanguis & calidus generatur, promptè in melancholicorum humorum vitium deueniunt. Gal. l. 3. de m. v. com. 3.

p. 7.

19. Ex causis evidentibus imprimis cibus & potus multum possunt ad melancholicum succum producendum, atq; adeo huic morbo fundamentum iaciunt. Inter cibos Auerroes s. colliget c. 41. numerat omnes herbas excepta Lactuca & Buglossa, foriè, ob excrementa quæ quamplurima ex illis relinquuntur. Brassica tamen in his primum locum obtinet, authore Galeno, & adstipulante experientia; quocirca plebeius error est, brassicam rubram medelam multorum morborum opinari.

20. Huc accensentur, caro bubula, caprina ceruina, leporina, pisces omnes ex cetaceorum & durore genere, cochlea, testudines, item omnia fumo & sole indurata, & sale condita, arborum germina, ubi muria condita sunt; panis furfuraceus, & ex corrupto vitiatog; frumento factus, Hippoc. 3. de rat. vict. & Gal. in com. Acetum melancholicis aduersissimum aiunt; quod humorem melancholicum

licum fermentet, attollat, & multiplicet. Vnde acetum melancholiae vita, Cholera mors dicitur. Vidus Vidius acetum non adeo improbat, rationibus non tam multi momenti, videturq; hoc desumpsisse ex Paulo Aegineta l. 3. c. 14.

21. In potu praecipue crasse feculenta & turbida cereuisiae, deinde vinum crassum, nigrum & rubrum improbantur, quemadmodum legumina, praecipue v. lentes, tum etiam caseus antiquus.

22. Daemonium etiam statuunt multi posse hominem in hunc affectum pellere. Verum Auicenna lib. 3. fen. 1. tract. 4. c. 18. recte docet, Physicam profitentibus, atq; adeo medicis istam causam non curandam; in naturalibus enim principijs causas morborum querimus; tamen si non negemus Diabolum causis naturalibus solere, plus quam credi potest, abuti. Quo factum, ut melancholia balneum Diaboli a multis dicatur, quod inter humores nostri corporis nullus aptior videatur ad mortalium animos dementandos, varijsq; imaginibus, & spectris irretiendos.

23. Signa quibus morbum agnoscimus, alia communia sunt, alia singulis speciebus propria. Inter communia principem locum tenent timor & tristitia. Hippoc. 3. Aphor. 23. & Gal. l. 3. de l. a. c. 7. Si quis enim non ex causa manifesta timeat, aut maestus sit, ita ut causam timoris sciscitanti nullam afferre possit, melancholici signum est; imò etiam si causa manifesta initium timoris & maestitiae fecerint, diutius tamen, quam par fuerat, postea perseverent, nihilominus indicium de melancholia faciunt; cum perseverans timor & tristitia facile melancholicum succum, ex quo morbus hic oritur, ingenerent.

24. Tristes cur sint melancholici non potest esse obscurum, si cur timeant, constiterit. Timor enim cum sit imminentis mali sanè non immerito, is, cui id imminet, tristitiâ afficitur.

25. Causam timoris explicat Galen. l. 3. d. l. a. c. 7. Terrentur inquit, ut in tenebris profundis pueri, atq; ex adultis indocti. Sanè quemadmodum externae tenebrae omnibus hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodum, vel docti fuerint; sic atra bilis
aolor

color mentis sedem tenebris similem reddens timorem efficit. idem
confirmat l. 2. de sympt. caus. c. 7.

26. Hanc Galen. sententiam irridet, Auerrhoes l. 3. colliget. c. 40.
propterea quod color non sit obiectum facultatis sensitivæ interioris,
sed tantum visus, qui tamen & ipse in tenebris nihil patitur, nisi
privationem speciei visibilis; Ipse vero Auerrhoes hanc timoris cau-
sam reddit: Habitus, inquit, animæ, sequuntur corporis complexio-
nem, quocirca prout illa apta vel inepta fuerit, ita consimiles con-
sequi habitus vel affectus. Hæc igitur impressio fit in animâ propter
complexionem obscuritatis melancholicæ. Nam de naturâ humoris
melancholici est, ut ipsum sequantur hæc accidentia, sicut de na-
turâ sanguinis est, ut ipsum sequatur gaudium & lætitia.

27. Hæc ex mente Auerrhois, quem in sententiâ Galeni nihil
aliud videtur offendisse, quàm vocula Coloris, quam nimis ille an-
gustè & strictè contra mentem Galeni interpretatur: neq; enim ille
Colorem, ut speciem visibilem in organum imprimere potest, sed ut
naturam humoris, qui atra bilis dicitur, indicat, accipit. Quod pa-
tet ex verbis, quæ statim subiicit, quibusq; rationem suæ opinionis
reddit: Etenim, inquit, summis tum medicis, tum Philosophis in-
confesso est, & humores, & omnino corporis temperaturam animæ
actiones inalterare. Ex quibus patet, Galenum ipsam humorum na-
turam, & temperamentum intelligere, alioquin quid absurdius, imò
quid puerilius foret, quàm dicere color atræ bilis timorem inducit,
quia corporis temperatura animæ actiones inalterat? Nam quid co-
lori cum temperatnra? quin potius si ea illi mens fuisset, quam Auer-
rhoes fingit, ita ratio fuerat reddenda: Color atræ bilis timorem in-
ducit, quia humorum color actiones inalterat.

28. Vnde manifestè patet Auerrhoem cavillari non impugnare
voluisse Galenum, cum viriusq; sententia, ut cuius diligentius exa-
minanti liquere potest, planè eadem sit. Nam quod Auerrhoes addit
de melancholici humoris proprietate, Idem Eustachius Rudius quoq;
probat, Et admitti potest, quod humoris isthæc proprietates ex tempe-

B

raturæ,

ratura, quam Galenus pro causa timoris adducit, proprietate proueniat.

29. Vera igitur timoris causa tum ex Galeno, tum Auerrhoe hac reddi potest: Manifestum est in omni actione requiri instrumenti integritatem. Spiritus autem animales cum sint instrumentum functionum animalium, necessum est, ut, si eas probe obire debeant, natura sua integritatem obtineant, id est, tum puri sint & lucidi, tum etiam in natura temperie calidi & humidi. His autem omnibus aduersatur humor melancholicus. Est enim frigidus & siccus, & sua natura valde obscurus; unde necessario sequitur functionem noxa, & imprimis imaginationis. Nam varia & terribilia spectra menti offeruntur, quibus non aliter egrotus turbatur, & expauescit, quam is qui recte valet, si vel dormiens in somnijs horrendis inquietetur, siue vigilans monstrosum aut terribile quippiam videat. Tamen si enim melancholicorum imaginationes, ut recte Valentium, verae non sint, sed false; tamen quia illi pro veris habent, verum etiam timorem concipiunt, eumque indefinentem, utpote qui timoris causam perpetuo una cum corpore circumferant Gal. l. 2. de symp. caus. c. 7.

30. Addimus causam hanc timoris non potuisse melius, quam ea similitudine, quam Galenus attulit explicari; saepe enim ea, quae aliquantum abstrusiora sunt melius ex alijs, quae apertiora & magis perspicua sunt, si natura quandam similitudinem habeant, quam ex seipsis intelliguntur; quod maiori iure Auerrhois, qui simile ut idem accepit, cauillationem hoc in loco improbandam existimamus.

31. Ex timore & maestitia indiuiduis huius morbi comitibus manifestum euadit, cor etiam ipsum, utpote quod affectuum sedes est male affici, vel saltem in consensum trahi.

32. Reliqua signa communia vel ex his quodammodo nascuntur, vel illis consimilem naturam habent. Nam hoc morbo correpti abiecto & demisso sunt animo, cogitationibus profundis intenti, oculis in terram defixis, res suas, seque ipsos negligunt, solitudinem amant, consuetudinem hominum fugiunt, & omnes propemodum odio habent.

bent, vitam sibi acerbam putant, & tamen si mori meruant, sæpè tamen sibi mortem consciscunt; facies liuida siue plumbea redditur, oculi excavantur; vigilijs tristibus & turbulentis in somnijs molestantur, multa animo cogitationeque fingunt, falsa & absurda tum loquuntur, tum committunt, multi etiam nec loqui quidem dignantur.

33. Hec tamen omnia unà cum morbo accrescunt ac decrescunt. Nam initio quidem obscure se produnt, ægrique tantum tristes, imaginationibus, & cogitationibus sese excruciant. Postea etiam quæ animo male conceperant, absurdius ore proferunt ridicula, minimeque coherentia; tandem morbo iam confirmato, opere & factis cogitata explent. Et tum diligenter cauendum est, ne vel sibiipsis vel alijs manus violentas adferant. Prompti enim sunt ad inferenda propinquis mala. Gal. 1. prorrh. com. 3. p. 31.

34. Iam signis quoque distinguendum est, in solo ne cerebro, an in toto corpore vitiosus humor redundet, & an cerebrum ex se, an verò per consensum totius laboret.

35. Hoc primum ex habitu corporis innotescet; Macri enim, nigri, & quibus ample sunt vene & hirsuti, ad congregandum humorem melancholicum in toto sunt aptissimi. Fit etiam interdum, ut præ rubro colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant, & post hos flauï, idque maxime quando etiam vigilijs & multis laboribus & solitudine, & tenui victu fuerint educati, Galen. 1. 3. de l. a. c. 7.

36. Præterea idem ex victu patet; qui enim victu exsiccante & crasso longo tempore vtuntur, melancholicum humorem cumulant, & in hoc malum sunt propensi. Tum etiam si & corporis actiones animique affectus consimiles accesserint, aut menses, hæmorrhoidesue substiterint, aut denique si lien male affectus sit, aut alia melancholicorum morborum genera sæpè fatigent, aut varices fiant. His etiam confert anni tempus, ac præterita, præsensque constitutio; item regio ac laborantis ætas, tandem si ex vena secta melancholicus sanguis,

exierit, per consensum totius affectum fieri argumento est. Gal. loco citato.

37. Quod si per hæc signa in toto sanguinem melancholicum redundare non fuerit deprehensum, coniectare licet, cerebrum solum affectum esse; quod inde etiam magis liquet, si ægrotus in reliquis quidem non admodum deliquerit. Verum studijs, curis, sollicitudinibus & vigilijs nimium se confecerit. Nam hic primùm sanguis exurit & exsiccat; tandem verò imminuto calore refrigeratur, & naturam melancholici humoris induit.

38. Signa quibus cause internoscuntur, tametsi ad curandum magni momenti sunt, tamen prolixitatis evitanda gratia in presentia præteribimus; Ex medicorum prolixioribus commentarijs illa peti possunt: nos ad prognostica pergimus.

39. Prognostica igitur hæc notari possunt. Melancholia in initio curationem admittit, inueterata verò & veluti in naturam conuersa, incurabilis propemodum euadit; Alexander Trallianus l. 1. c. 15. Auicenna l. 3. fen. 1. tract. 4. c. 5. Planè autem de curâ desperandum, si æger cibum omninò respuat, neq; auxilijs ullis somnum capiat. Auicenna loco modo citato. Quod & confirmat Hippocr. l. 7. aph. 6. Vbi inquit, in morbis diuturnis cibi fastidium, malum.

40. Facilius curam recipiunt, in quibus cholera nigra mobilis est; nam discretionem recipit à sanguine: minus, in quibus non est mobilis. Cum sanguine enim tam arctè colligatur, ut in substantiæ quandam unitatem coisse videatur. Mobilem autem esse constabit, si quid eius in egestione, vomitu, urina & colore cutis appareat, aut per scabiem, lentigines, varices, & elephantiam excernatur, Auicenna ibidem. Mirum v. est cur idem Auicenna paulò ante dixerit, si ulcera appareant in melancholicis corporibus, mortem esse propinquam.

41. Desipientia, que cum risu, tutior, que verò cum studio periculosa, 6. Aph. 53.

42. Insanis, si varices vel hæmorrhoides superueniant, insaniæ solus-

Solutio, l. 6. Aph. 21. Quo in loco sub insaniâ etiam melancholia comprehenditur, ut patet etiam manifestius ex l. 6. aph. 11.

43. *Mente ob melancholiam aberrantibus, tremores superuenientes maligni. Hippoc. 1. prorrh. 2. 14. Galenus in comm. dicit; Melancholiam, μελαγχολία, id est, mentis motionem aberrationemq; intelligere oportet vehementem & ferinam, quæ irrigante cerebrum asfata flava bile oritur.*

44. *Morbis melancholicis periculosa transmutatio est, vel in stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cecitatem. Hipp. l. 6. Aph. 56.*

45. *Melancholici ut plurimum Epileptici fieri consueuerunt, & Epileptici Melancholici. Horum utrumq; magis accidit, prout ad alterutram partem morbus inclinârit. Etenim si in corpus, morbo comitiali laborant, si in mentem, atrâ bile vexantur. Hipp. l. 6. de morb. vulg. tex. 54.*

46. *Iam ad curationem accedimus; Quam commodè exordimur à diæta. Nisi enim tum in alijs, tum in hoc imprimis morbo bona vitæ ratio instituatur, medelæ reliquæ frustra tentantur.*

47. *Aër imprimis debet esse lucidus, humidus, in calore & frigore temperatus, non obscurus, turbidus aut graueolens. Talis si non detur, arte alterandus erit.*

48. *Cibus erit boni succi, facilis concoctionis, moderatè calidus, vim humectandi habens, qui neq; excrementa multa, neq; flatus pariat; Eiusmodi sunt oua sorbilia, carnes gallinarum, caponum, pallo- rum perdicum, vitulina, &c. Vitari in uniuersum debent, quantum eius fieri potest, omnes cibi succum melancholicum generantes, quorum supra partem magnam enumerauimus.*

49. *Potus sit vinum album, tenue non rubrum neq; crassum, vel cereuisia optimè cocta & defecata, in caliditate & frigiditate mediocritatem quodammodo retinens, qualis imprimis est nostra Gardelebiana, quam simplicem vocant.*

50. *Exercitium etiam moderatum accedat, & inambulatio per*

locâ amœna, & viridaria, ubi auium canus exaudiri possunt; Veneri etiam modus statuatur, non omittatur. Nam ut Hippocrat. l. 6. de morb. vulg. Aristot. l. 30. probl. 1. aiunt; Melancholici libidinosi esse consueverunt.

51. Somnus, quia humectat, potius ad excessum, quàm ad defectum declinet, si fieri potest; nam melancholici plerumq; nimis vigilijs torquentur.

52. Animi affectus omnes vehementes, præcipuè amor insanus, odium, metus, & tristitia, euitandi sunt, & animus cantilenis, instrumentis musicis, letis nuncijs, historijs & bonâ spe demulcendus & exhilarandus est.

53. Reliqua cura in humoris digestionem, præparationem, eiusdemq; euacuationem, partium corroboracionem, & accidentium correctionem, absoluitur; quæ singula, prout ordine quidq; sese obtulerit, paucis & strictim indicabimus.

54. Inter euacuantia venæ sectione primo loco opus est, quæ etiam adhiberi potest, statim in initio, etiam neglecta humorum digestionem, & præparationem, si magna sit plethora, & calor paulò vehementior; metus enim est, ne humor amplius exustus ferinam melancholicam inducat, alioquin etiam præparatio aliqua præmitti, & Clyster injici potest.

55. Congruit autem præcipuè in ea melancholia, quæ sit per consensum totius. Et tum aperienda est vena brachij interior, vel media, vel etiam Cephalica, si sanguis copiosius in caput efferi fuerit animaduersum. Secatur autem vel in dextro vel in sinistro brachio, prout vel lien vel Epar præ reliquis erit affectum. Cum vero humor melancholicus crassus sit, & ad exeundum ignauus & quasi torpidus, corpus prius leni exercitio, frictione, aut etiam balneo emolliente & humectante est præparandum. Tum etiam videndum, ut amplum foramen fiat, ne sanguine tenuiore exhausto, is quis crassior est, in corpore cohibeatur.

56. Quod si venâ apertâ, sanguis niger feculentus, & crassus
exeat,

exeat, tantum, quantum vires agroti ferunt, est extrahendum, aut etiam repetenda vena sectio. Si vero purus tenuis & raticundus effluxerit, statim supprimatur.

57. Potest etiam, & quidem magno commodo vena tali aperiri; eò quod promptius, quàm alia quavis humorem melancholicum euacuet; quod is ⁱⁿ innatam grauitatem deorsum maximè decumbere existimetur.

58. Inter preparantia humorem sunt tum aqua, veluti cichorij, portulacæ, intyborum, buglossæ, borraginis, melissæ, scolopendria, fumaris, lupulorum, florum sambuci; tum Syrup. de polypod. de Epithymo, de scolop. de pomis, borragine, &c. Tum etiam decocta ex herbis, radicibus, seminibus, & corticibus appropriatis, quæ tamen pro medici prudentia ita permisceri, & contemperari oportet, ut cuilibet causæ opposita, medicamentum commodum, & salutare euadant.

59. Inter purgantia quæ lenia, primo loco adhibenda sunt, ne vehementioribus humor melancholicus irritatus efferetur, & grauiora mala inducat. Igitur initio, dum adhuc humoris magna est copia, blandè leniterq; tractandus est, & rectius omninò fit, si ea in usum vocentur, quæ simul humorem exustum, & retorridum contemperent, cuiusmodi sunt, Syrup. multarum infusionum, tum rosarum, tum præcipuè violarum, Epithymi, polypod. de fumar. de cichor. cum Rhabarb. item pruna Damascena, passul. exacinata, cum hordeo exorticato, radicibus altheæ, Glycyrr. & sem. anisi decocta. Confert similiter serum lactis caprini, vel per se sumptum, vel incoctis ijs, quæ vel facultatem eius leniendi augeant, vel qualitates noxias corrigant.

60. Cassia etiam in conuenienti liquore dissoluta, utilis est; imprimis v. commendatur Syrupus, qui paratur ex infuso foliorum senæ in succo rosarum, violarum, borraginis, melissæ, & pomorum dulcium vinosorum, qualia sunt præcipuè, quæ Borsdorfiana vocant, additis vel subtractis, quæ ratione causæ morbificæ vel salutariæ, vel noxiæ esse videntur.

61. Cum

61. Cum autem humor melancholicus sit crassus, piger ad motum, & valde pertinaciter hereat, ita ut nec facile nec paucis vicibus educi possit, consultissimum est, purgationes ita instituere, ut leuibus principio utamur, tertio vel quarto quoque die, & intermedio tempore humorem, atque adeo corpus ipsum, Syrupis, sorbitionibus, & balneis preparemus, ita ut quidquam prout emollitum. preparatum sensim fuerit, sensim etiam educatur. Quam ob causam etiam alterantia, & preparantia, cum ipsis lenitiuis, & purgantibus medicamentis, quae etiam continuis aliquot diebus propinantur, permisceri solent.

62. Vbi hac ratione satis longo tempore materia per vices preparata, & paulatim magna ex parte euacuata est, licet etiam per intervallu ad fortiora, ut confectionem hamech, diasena, lapidem Armenium, lapidem Lazuli, & helleborum nigrum ascendere: & tandem etiam ad ea, quae fortissima sunt; ut: Helleborus albus, & vitrum antimonij. Ex quibus hoc dari potest in conseruis violarum, buglossae, borraginis, vel alio modo, ad grana tria, vel quatuor. Helleborus albus etiam magnò cum fructu, varijs modis preparatus sumi potest. Modos autem, quibus preparatur, & quantitatem, quae sumi solet, quibus petere potest ex Eustachio Rudio l. 1. c. 3. de morb. internis: Petr Salio l. de aff. particul. c. 19. & Iohan. Heur. meth. l. 2. c. 21.

63. Obseruandum verò est in horum usu, ut ne corpus nimis sit extenuatum, sanguinis exspuitioni obnoxium, nimio calore exaestuans, aut febre detentum. Item fugiendum illis helleborum suademus, quibus vel pectus angustum est, vel oculi male affecti, aut qui alioquin difficulter vomunt. Dari v. debet, si quae diximus absint, corpore benè preparato, cibo, potu, & balneis humectato & lubrico facto.

64. Quin & hoc notandum, purgantia illis solummodo esse propinanda, in quibus materia redundat. Nam qui ex solà intemperie delirant, rectius ab his abstinere, & plus iuuantur balneis, & medica-

dicamentis moderatè calefacientibus, & humectantibus, quibus intemperies in pristinum statum restituatur.

65. Dantur autem medicamenta purgantia nulla forma commodius, quàm in potionibus; quia humectandi quoque vim habent. Nulla autem magis incommoda est, quàm forma pillularum. Pillule enim non tantum excalefaciunt nimis, verum etiam vehementer exiccant.

66. Tamen si autem Hippocrates l. 4. Aph. 9. iubeat melancholicos per inferiora purgare, nihil tamen obstat, quò minus etiam per superiora aliquando commodè purgari possint.

67. In primis tamen profunt clysteres sepius iniecti, tum ad alterandum, tum etiam ad purgandum, prout necessitas efflagitarit, ex herbis Mercuriali, parietaria, malua, bis malua, violaria, chamomelo, meliloto, radicibus altheæ, liliorum alborum, semine lini, fœnigræci, & alijs, quibus etiam carminantia pro libitu adijci possunt, tum etiam eligi olea, prout commodum visum fuerit in uniuscuiusque constitutione corporis.

68. Sudorifica etiam, & diuretica, si non nimis calida & sicca fuerint, sed madore quodam perfusa, non sunt improbanda. Quocirca balneis aquæ dulcis, aut quibus herba emollientes, quarum paulò ante facta est mentio, incoctæ sint, sepius utendum erit.

69. Particulares etiam euacuationes, quemadmodum Hemorrhoidum, & mensium utilissima sunt, præsertim si ex his cessantibus mali origo fuerit.

70. Si quid post euacuationes uniuersales reliquum factum fuerit de materia morbifica in capite, etiam cucurbitulis appositis, vel venulis nasi, aut frontis apertis, educere consueuerunt, præcipuè si rubor adhuc adsit, & oculorum venæ tumide appareant.

71. Huc plurimum etiam conferunt cauteria, vel cruribus, si materia in toto redundarit, vel brachys, si in capite, vel etiam capiti ipsi supra suturam coronalem apposita. Quemadmodum etiam trepanatio, siue apertio cranei, tum ab alijs quàm plurimis, tum præ-

C

Sertius

serim à Ronde letio commendata, quòd multi quibus casu cranium
apertum sit, & euacuati humores, & vapores in cerebro contenti,
sint restituti.

72. Adiuuant etiam ligaturæ & frictions extremorum, sternu-
tationes, apophlegmatismi, & hirudines, fronti alijsuè locis appo-
sita.

73. Partes quarum corroborationi imprimis studere debemus,
sunt caput, & cor. Cordi adhibentur extrinsecus, epithemata ex a-
quis buglossæ, borraginis, melissæ, violarum Nymphææ, rosarum. Vi-
no granatorum, & citri, speciebus Diamargariti, diambra, Diamu-
schi, diatrion santalon, Caryophyllis, Mace, Zedoaria, agallocho, se-
mine Maioranæ & Basiliconis, corallis, ambra, moscho, croco & a-
lijs. Intrinsicus dantur conseruæ earum herbarum, quarum aquas
modò ad epithemata commendauimus, tum etiam cortices citri, ra-
dices satyrionis, Enulæ conditæ; species diamargariti frigidi, diatrion
santalon, diagemma, diamoschi, diambra, Imprimis verò confectio
Alkermes.

74. Capiti adhibentur extrinsecus lotiones ex rebus humectan-
di, & leniter refrigerandi vim habentibus, si vigilia molesta sint,
vt floribus violar. nenupharis, maluæ, lactuca, capitibus papaueris,
& alijs; si verò reliquæ causæ morbificæ discutiendæ sint, ex betoni-
ca, melissâ, chamomillâ, meliloto, thymo, serpillo, satureia, floribus
sambuci rosarum, anthos, quibus etiam addi possunt folia senæ, &
Agaricus. Intrinsicus dantur conseruæ betonica, maior. salu. an-
thos. Theriaca, mithridatium, & quæ paulò ante commemorata sunt,
debito modo, prout vnaquæq; causa requisierit permixta.

75. Accidentia, quæ potissimum agrotos miserè affligunt, sunt:
vigilia, metus, tristitia, & desperatio. Hæc tum iisdem, quibus par-
tes singulæ corroborantur, tum pedum capitisq; lotionibus, & inun-
ctionibus, poru lactis amygdalate, cui & lactuca, & papaueris semi-
nis aliquantulum adiectum sit, tum alijs quàm plurimis medicamen-

*uis, corriguntur, qua & nimis longum foret recensere, & medenti-
bus notissima sunt. Quare ijs enumerandis supersedemus, & huic
disputationi hic finem imponimus.*



Q V A E S T I O N E S.

I.

An acetum conferat melancholicis, vt Pau-
lus Aeginetha, & Aetius tradiderunt? Neg.

II.

An thermæ conueniunt melancholicis? N.

III.

An melancholici sint ingeniosi & in studijs
Philosophiæ, & rep. administranda & compo-
nendis carminibus excellentes, docuit, vt Arist.
lib.30. prob.1. Dist.

F I N I S.



in corriguntur, non est enim longum, sed certum, et
dignissima sunt. Quare in curandis melancholicis, et
dissolutis hic sumus respondimus.

DE MELANCHOLIA, ET DE
DYSOLUTIA, ET DE
MELANCHOLIA, ET DE
DYSOLUTIA, ET DE

QUESTIONES

I.

An actum consistat melancholicis, et
his Agnoscit, et Actus eruditur, Neg.


II.


An actus consistat melancholicis, et
Neg.

III.

An melancholicis in actibus, et in
Philosophia, et reip. administranda, et compo-
nendis carnis, his excellentes, docuit, et Arist.
lib. 2. de part. Diff.

F I N I S







De

ANCHOLIA,

RATIO PRIMA.

Ancholia cerebri primaria & ca
sentum totius

Quam

proside *M. L. 286*

LVCHTENIO,

doctore & Professore, in
co auditorio

Defendet

ES HVSANVS

VRINGVS.

21. Decembris.



MAESTADI,

cio IACOBI LVCI.

15. 15. clix.

Mag. et nobil. viro D.olpho ab Alurnsleben hereditatis in Calbe et Riebtarn mittit autor

Wippeny

(25)

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black